Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36450
Copyright: Melk, Benediktinerstift

bestiis sociati. multi ab avibus sub mi-
nistrati. ciborum spernentes delicias.
luxus seculi calcantes. laudem temporalem
non amantes. visus hominum fugientes.
angelorum assueti loquelis. plurimis vir-
tutum effulsere signis. cecis visum innova-
bant. clausis gressum firmabant. Verum
quia his omnibus non mediocriter sed perfecte
huius sacratissime solemnitatis dies maxi-
mo sine fine constat honore. nos fratres
karissimi tantorum patrocinia intercessorum de
quibus locuti sumus tota mentis intencione
queramus. ut per temporalia festa que ge-
rimus. eorum meritis intercedentibus ad eterna
gaudia pervenire valeamus.

3 lec Beata dei genitrix et semper virgo
maria templum dei. sacrarium spiritus
sancti. virgo ante partum. virgo post partum
presentis sollemnitate diei cum suis virginibus
expers nullorum credenda est. que dei po-
pulum faciendo monebat spernere putri-
luxus seculi lenocinia. mortalis nature
declinare carnis pudiciciam cum virginitatis
honore intra cordis hospicia observare.
eamque omnium virtutum reginam. fructum
salutis perpetue. sociam esse angelorum
suis affirmabat exemplis. ita ut innu-
merabilis utriusque sexus multitudo eius
sequeretur vestigia. et relictis nuptiarum
copulationibus spretaque liberorum propagi-
ne sponso qui in celis est perenni mente
actu habitu et gestu applicari malue-
rint. orationibus instantes. ieiuniis adhe-
rentes. vigilias sacras adamantes. e-
lemosinas sectantes. pauperes recreantes
nudos vestientes. infirmos visitantes.
in tribulationibus gaudentes. in verbis
calumnie vel contumelie pacientes. in aug-
mento sue professionis humiles. in dam-
no rerum temporalium deo gratias agentes. His
omnibus et his similibus pro desiderio regni
celestis. et propter spem eterne remuneracio-
nis ardentissimo amore indesinenter
atque libenter insistunt. et sic in carita-
te dei ac proximi amore perseverantes
deo soli vitam finire congaudent.

Sermo unde supra.

Hodie dilectissimi om-
nium sanctorum sublimia sole-
mnitatis leticia celebra-
mus. quos terra editos
preciosus christi sanguis gratuita pietate
ad celestia evocavit. quorum societate ce-
lum exultat. quorum patrociniis terra le-
tatur. quorum triumphis ecclesia sancta coronatur.
quorum confessio quanto in passione forcior
tanto est clarior in honore. quia dum
crevit pugna. crevit et pugnancium gloria.
et martyrum triumphus multiplici passio-
num genere adornatur. per que graviora
tormenta. grandiora fuere et premia.
Dum catholica mater ecclesia per totum or-
bem longe lateque diffusa. in ipso capite
suo ihesu christo edocta est contumelias crucis
et mortem non timere. magis magisque
roborata non resistendo sed preferendo uni-
versos. quos agmine inclito carcer pe-
nalis inclusit. pari et simili calore vir-
tutis ad gerendum certamen gloria triumphalis
inspiravit. O vere beata mater ec-
clesia. quam sic honor divine dignacionis
illuminat. quam vincencium gloriosus martyrum
sanguis exornat. quam inviolate confessio-
nis candida induit virginitas. in floribus
eius nec rose nec lilia desunt. Cer-
tent nunc fratres karissimi singuli ad utrosque ho-
nores amplissimos accipere dignitatum
coronas. vel de virginitate candidas
vel de passione purpureas. In celestibus
castris pax et acies habent flores suos.